

## DE RECURSU A PRAECEPTO PRAELATI

In iure poenali, non semel, sub multiplici respectu, perpendendus nobis occurrit casus quem solvendum Commissioni Codicis interpreti obtulit Ordinarius Gnesnensis (Gnesen-Posen) in dictione polonica<sup>1</sup>. Venationis exercitium cui non pauci Clerici vacabant, ansam praebuit abusibus quos Praelatus delendos esse opportunum duxit. Reapse decretum quo licitavenatio territorio paroeciali restringebatur, omnes abusus delere non valuit, ideoque alterum decretum latum est, vi cuius sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, Clerici prohibebantur ne venationi amplius incumberent. Attamen, stricta prohibitione non obstante, nonnulli ecclesiastici viri venationem exercere perrexerunt, innixi can. 138, quo Episcopo non licet integrum venationis exercitium vetare. Inde quaestio solvenda subiiciebatur: utrum Antistiti fas sit Clericis sibi subditis venationem etiam non clamorosam prohibere sub poena suspensionis latae sententiae.

Omnibus iuris cultoribus innotescit responsum hac de re latum a S. C. Concilii, responsum quidem aequitate canonica eminens; quapropter non est nostrum consilium disserere de normis maxime ad praxim conducentibus quae, tum voto Consultoris, tum resolutione Romani Dicasterii ibi traduntur, sed potius adumbrare intendimus quaestionem arcte connexam quam sic exhibendam censemus:

1.º) Clericis illis, post latum decretum prohibitivum, venationi vacare licebat, innixis praetextu quo Praelati pares non sunt prohibendo cuilibet venationis exercitio?

2.º) Si Clerici illi recursum instituissent ad S. Sedem, in casu nostro, ad S. C. Concilii, recursus, sive quoad poenam, sive quoad ipsam praecipuum censebatur in suspensivo an in devolutivo?

Nemo non videt praemissas quaestiones ornari momento practico, tum quia totam disciplinam ecclesiasticam transcendunt ita ut recta earumdem solutione non parum pendere videatur ordo socialis Ecclesiae; tum quia iurisperiti hac de re vix sermonem faciunt.

*Priori quaestioni magna ex parte satis fit can. 2219 § 2: "Si dubitetur utrum poena, a Superiore competenti inflictata, sit iusta necne,*

---

<sup>1</sup> AAS. 1921, p. 498-501. S. C. Concilii. Gnesnen. et Posnanien. Circa venationem. Die 11 iunii 1921.